

XLIIII. Item bene discutit parotidas iris Illyrica contusa cocta ex passo more farinae hordeaciae calda bis vel ter in die imposita.

XLV. Discutit et hoc medicamentum parotidas, antequam suppura-
verunt: spumae argenteae pondo duo, cerussae pondo libra, salis ammo-
niaci pondo libra, aeris flos pondo dodrans, aceti sextarius, olei veteris 5
sextarii duo et dimidium. spumam, cerussam, salem per se et cum aceto
terere oportet mortario, deinde oleo admixto traicere in caccabum am-
plum, ne extrafundatur et effervescat (effervescit enim valde). cum haec
super ignem posita habuerint emplastri temperaturam mollis, deponere
oportebit caccabum; cum desierit fervere, paulatim aspergere aeris flos 10
et movere spatha medicamentum, ne extrafundatur, et rursus coquere,
donec habeat emplastri spissitudinem stricti.

Ad sanguinis eruptionem de naribus

XLVI. Erumpit se e naribus sanguis, qui cum abundanter fluxit, nisi
celerius supprimatur, periculum adfert. proderit ergo aqua frigida vel 15
posca subinde totam faciem per spongiam refrigerare, acetum acre infun-
dere in aurem, cuius e regione sanguis fluit, aut in utramque, si ex utraque
sanguis emanaverit. gypso totam faciem cum fronte et maxime nares
crasse oblinere prodest et caput frigida aqua copiose superposito aliquo
tegumento perfundere vel cucurbitam occipitio adfigere. inicere autem 20
intus narem aut nares oportebit cocleae vivae carnem per se aut cum thu-
ris polline tritam vel herbam, quae, quia multa est et ubique nascitur,
polygonos appellatur. idem trita facit et lysimachios herba eodem genere.
proderit et spongiae particulam praesectam apte forcipe ad amplitudinem
et patorem narium figuratam inicere paulo pressius ex aceto per se. inter- 25